Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1641

Quelle:
Copyright:

bat, non esse licitum seu disputacionis gratia, seu quod ita sentiret. Alia defendebat esse licitum id quod a quingentis annis et amplius ecclesia de fide habuit. Primo ponam allegaciones prime posicionis, 2° allegaciones contrarias, 3° primas allegaciones dissoluam quantum sine librorum studio cursim facere potuero. &c. Idem innuit post Tractat. medium: *Et hac materia longiorem tractatum exigeret, quam tempus presens peregrinantem et libris carentem scribere permittat.* Quo magis mirum, tantum viro et Scripturae s. et Patrum ad partes suas tuendas usum adfuisse. Itaque Catalogis Scriptorum *Angliae* deinceps inserendus est.

XVIII. *fol.* 205. p. 2. *Sequitur posicio Magistri Jacobelli discipuli Magistri Johannis Huss. De anticbristo.* Initium: *Utrum sicut ex scriptura plane constat christum in plenitudine temporis personaliter aduenisse ita euidenter sit deducibile ex eadem anticbristum in complemento seculi propria aduenire in persona.* &c. Curiosa Dissertatio calculis etiam chronologicis *Antichristum* in Pontificibus *Romanis* indagat. Nihil de ea apud *Bohemiae doctae Balbini* Editores, nihil apud *Fabricium Bibl. med. Lat.* apud quem, quod obiter noto, minus recte *Jacobellus* Communionem sub una perinde, ut *Joan. Hussus*, strenue impugnasse dicitur, cum *Hussus Jacobelli* Sententiam literis ad eum e carcere datis potius improbaverit, ut liquet e Cl. *Pelzelii Hist. Bohem.* vernacula p. 224. Ad calcem legitur: *Et sic est finis posicionis magistri Jacobelli quam posuit sub Magistro Czisskone de anticristo maximo.* Quis hic *Czisko?*

XIX. *fol.* 220. *Sequitur Tractatus Magistri Stanislai* (de Znoyma) *de Anticristo.* Directus contra praecedentem. Initium: *Cum oppositorum suo tempore possibilium nedum sit eadem disciplina sed et ipsa iuxta se posita magis elucescant* &c. Ad calcem: *Explicit — Editus Prage Anno domini M° CCCC°. XIII°. Contra Jacobellum.* Indicatus jam ex hoc ipso *Cod.* a *Mansio* ad *Fabricii Biblioth.* p. 202.

XX. *fol.* 245. p. 2. *Sequitur Sermo Magistri Stephani palecz Sacre Theologie professoris contra duos articulos Wickleff.* Prior est inter XLV. numero 13. *Illi qui predicare dimittunt propter excommunicationem hominum sunt excommunicati* &c. Alter numero 34. *Licet alicui dyacono uel presbitero predicare verbum dei absque auctoritate sedis Apostolice uel Episcopi.* Leguntur etiam in calce ipsius *Sermonis*, qui incipit: *Si Spiritu viuimus spiritu et ambulemus, scribitur ad Galat. V. in epistola currentis ebdomade* &c. Habitus itaque hic *Sermo* est infra Dom. XV. post Pentecosten. Ignotus iis, qui de *Stephano* nostro tractarunt, quique, ut obiter moneo, non rite eum a *Stephano Dolanensi*, de quo supra N. V. distinxerunt.